

GLORIA IN EXCELSIS DEO.

Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Laudamus te, Benedicimus te, Adoramus te, Glorificamus te, Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam. Domine DEVS rex cœlestis. DEVS pater omnipotens, Domine fili unigenite IESV CHRISTE, Domine DEVS Agnus Dei filius patris, Qui tollis peccata mūdi miserere nobis. Qui tollis peccata mūdi suscipe deprecationem nostrā, Qui sedes ad dexteram patris miserere nob. Quoniam tu solus sanctus, Tu solus Dominus, Tu solus altissimus IESV CHRISTE, Cum SANCTO SPIRITV In gloria DEI PATRIS, Amen.

SYMBOLVM APOSTOLORꝶ



CREDO IN VNVM DEVM, Patrem omnipotentem factorem cœli et terræ visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum IESVM CHRISTVM filium DEI unigenitum. Et ex patre natum ante omnia sæcula. Deum de Deo lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum non factum consubstantialem pr̄i per quem omnia facta sunt, Qui propter nos homines et propter nr̄am salutem, descendit de cœlis, Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria virgine, ET HOMO FACTVS EST Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato passus et sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum scripturas, Et ascendit in cœlum: sedet ad dexteram Patris, Et iterum venturus est cum gloria iudicare vivos et mortuos cuius regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum Dominum et vivificantem qui ex patre filioq; procedit, Qui cum patre et filio simul adoratur et conglorificatur qui locutus est per Prophetas. Et unam sanctam catholicam et Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorꝶ. Et vitam venturi sæculi, Amen.

Sacerdos offerens hostiam dicit.

Suscipe sancte pater omnipotens, æterne DEVS, hanc immaculatam hostiam quam ego indignus famulus tuus offero, tibi DEO meo vivo et vero: pro innumerabilibus peccatis et offensionibus et negligentijs meis et pro omnibus circunstantibus, sed et pro omnibus fidelibus Christianis vivis atq; defunctis: ut mihi et illis proficiat ad salutem in vitam æternam, Amen

OFFERENS CALICEM DICIT.

Offerimus tibi Dn̄e Calicem salutaris: tuam deprecantes clementiam, ut in conspectu Diuinæ Maiestatis tuæ pro nr̄a, et pro totius mundi salute cū odore suavitatis ascendat, Amen

Iunctis manibus inclinatus dicit



IN spiritu humilitatis et in animo contrito suscipiamur a te Domine: et sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie ut placeat tibi DOMINE DEVS. Veni sanctificator omnipotens æterne DEVS: et bene ✠ dic hoc sacrificium, tuo sancto nomini preparatum.

Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem quam tibi offerimus ob memoriam passionis resurrectionis, & Ascensionis IESV xp̄i Domini nostri et in honore beatæ MARIÆ semper Virginis, et beati Ioannis Baptistæ et sctoꝶ Apostoloꝶ Petri et Pauli, & istorum, & omnium sanctorum ut illis proficiat ad honorem nobis autem ad salutem: et illi pro nobis intercedere dignentur in cœlis quorum memoriam agimus in terris. Per Christum Dominum nostrū. Amen

SACRVM CONVIVIVM



Accipiendo in manibus hostiam dicit.

QVi pridie quam pateretur accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas, Et elevatis oculis in cœlum ad te Deum patrem suum omnipotentem: tibi gratias agens, bene ✠ dixit, fregit, deditque Discipulis suis dicens. Accipite et manducate ex hoc omnes.

HOC EST ENIM CORPVS MEVM

Simili modo postquam cenatum est accipiens et hunc preclarum calicem, in sanctas ac venerabiles manus suas; item tibi gratias agens, bene ✠ dixit deditque discipulis suis dicens. Accipite et bibite ex eo omnes.

HIC EST ENIM CALIX SANGVINIS MEI NOVI ET AETERNI TESTAMENTI MYSTERIVM FIDEI. QVI PRO VOBIS ET PRO MVLTIS EFFVNDETVR IN REMISSIONEM PECCATORVM.

HÆC quotiescūq; feceritis in mei memoriā facietis.

Ante sumptionem Sacramenti: inclinatus dicit



DOMINE IESV CHRISTE qui dixisti APOSTOLIS tuis, Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, ne respicias peccata mea, sed fidem ECCLESIAE tuæ: eamque secundum voluntatem tuam pacificare, & coadunare digneris. Qui vivis et regnas DEVS. Per omnia sæcula sæculorum. AMEN.

DOMINE IESV CHRISTE fili DEI vivi: qui ex voluntate patris cooperante spiritu sancto per mortem tuam mundum vivificasti: libera me per hoc sacrosanctum corpus, et sanguinem tuum, ab omnibus iniquitatibus meis, et universis malis, et fac me tuis inherere mandatis, et a te nunquam separari permittas. Qui cum eodem DEO patre et spiritu sancto vivis et regnas Deus. in sæcula sæculorum. Amen.

ERCEPTIO corporis tui DOMINE IESV CHRISTE, quod ego indignus sumere præsumo, non mihi proveniat in iudicium et condemnationem sed pro tua pietate prosit mihi ad tutamentum mentis, et corporis, & ad medelam percipiendā. Qui vivis et regnas cum DEO PATRE in unitate SPIRITVS SANCTI DEVS: Per omnia sæcula sæculorum. AMEN.

Ante benedictionem inclinatus dicit



PLaceat tibi sancta Trinitas obsequium servitutis meæ et præsta ut sacrificium quod oculis tuæ maiestatis indignus obtuli tibi sit acceptabile: mihique, et omnibus pro quibus illud obtuli, sit te miserante propitiabile. Per Christum Dominum nostrum

IN FESTIS DIEBVS DVPLICIBVS.

GLoria in excelsis Deo.

CRedo in unum Deum.

SIt nomen domini benedictū

℣. Adiutorium nr̄m in nomine domini

℣. Benedicat nos omnipotens Deus pater et filius et spiritus sanctus.

Initium sancti Euangelij secundum Iōannē



IN principio erat verbum, & verbum erat apud Deum et Deus erat verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt et sine ipso factum est nihil. Quod factum est, in ipso vita erat: et vita erat lux hominum: et lux in tenebris lucet: et tenebre eam non comprehenderunt. Fuit homo missus a DEO, cui nomen erat Ioannes. Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat et mundus per ipsum factus est et mundus eum non cognovit. In propria venit: et sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum: dedit eis potestatem filios DEI fieri, his qui credunt in nomine eius: qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis neque ex voluntate viri sed ex DEO nati sunt.

ET VERBVM CARO FACTVM EST. Et habitavit in nobis, et vidimus gloriam eius gloriam quasi unigeniti a Patre: plenum gratiæ et veritatis.

Kanon ołtarny do mszy św.